



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinqve**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXIV. Dictata de Obedientia ex S. Ignatio sub vitæ exitum excepta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

retur; si cuius autem nostrorum audaciam interciperent, rebus nouis hac in parte studere, velut Ordinis turbatorem, & offensionis architectum, iussit pœnis meritis cohærcere. Sed de his nunc obiter, loco, & tempori fusi, id solum aduerto, nullam inter homines esse Communitatis vlliis, tam longe & acutè cautam, prouidamque gubernationem, quam non aliquid saltē aliquando, singulare, & inopinatum fugerit & fallat; nam sumus denique homines, non mentes de cœlo liberae, & humana admirramur intelligentia. Peruersitatis itaque intolerandæ sit, priuati alicuius incommodi impatientia, aut fortuiti leuisque erroris indignatione, vtilitates immensas spernere; suscepito congenitas gubernandi modo, moliriique mox nouum, quocumque tandem periculo id fiat, pro nauis forsan quos sanat vulnera facturum ingentia, quorum rursus impatiens odium, nouos moueat interpolatores ad nouam regendi excogitandam rationem, alternantibus fabricandi, euertendique perpetuis vicibus inter publici boni detrimenta, quæ solet in re tanti, nouitas improba inferre. Certus ergo diuinitus, Fundator, imperij formam quam stabilierat in Societate esse quam optimam, ad modum Obedientiæ effingendum se totum conuertit, nec inculcauit aliud grauius, nec explicuit fusi, nec experiri accuratius in nostris ad futuri exemplum fatigit, nec violatum multauit seuerius. Hanc esse Societatis firmamentum, hoc robur docuit, quo se tueretur, & ageret: hanc tesseram qua tanquam gentilitia signatur, & secerneretur ab aliis, vestitu aspero, ieuniis, & solitudine primas sibi partes ferentibus: hanc demum parens sanctissimus tanti fecit, ut discelui proximus, in Obedientiæ commendationem, qua nihil carius haberet suprema dictata formauerit, vocatōque Ioanne Philippo Vito, Secretarij socio, scribe, inquit, nam volo norit Societas, de Obedientia potestrum quid sentiam, eique ut sequitur dictauit.

1. Ipso primum in religionem ingressu, vel statim post, prima hæc cura sit, ut me totum superiori penitus permittam.

2. Optandus mihi superior fuerit, qui iudicij mei domandis sensibus infistat.

3. Quibuscumque in rebus, culpæ nihil inerit, standum mihi est superioris arbitrio, non meo.

4. Triplex est obediendi modus. Vnus cum obedientiæ præcepto iubetur, & hic quidem est bonus. Melior alter, cum iussis simplicibus paretur. Tertius omnium optimus, cum ne iussus quidem expectatur; sed vel solus superioris nutus, & quod velle creditur, executioni mandatur.

5. Superioribus promiscuè omnibus parendum mihi est, nullo discrimine majoris, minoris, aut infimi; sed Deus cuitis vices agunt, pari mihi iure in omnibus spectandus, alioqui per illorum gradus, Obedientiæ quoque vis ad infimum descendit.

6. Si rectum putauit iubere superior; mihi vero id secus absque Dei offensa fieri non posse videbitur, nisi hæc mihi sit evidens, stare me iuben-

XXIV.

*Dissata de
Obedientia
ex S. Ignatio
sub vita exi-
tum excepta.*

H h 2 tis

tis imperio ac iudicio oportebit: in quo tamen si minus acquiesco, quicquid mea me cogit opinio sentire, leponendum est in duorum aut trium consilium, & eorum sententiae inhærendum: si ne id quidem mihi satisfacit, absum planè ab ea virtute longissimè, quam religiosi status præstantia exigit.

7. Denique meus esse non debeo, sed eius à quo sum conditus, & eius cui me regendum credidit, & cuius perinde arbitrio agendum me permittere debeo, ut si totus ex cera forem, quicquid me fieri voluerit: dare aut accipere literas; hunc, illumve alloqui, aut abstinere ab eius colloquio, & eius genetis alia: reponenda mihi est pietatis mæ, & prompti animi summa in capessendo quicquid mihi iniungitur.

8. Habere me pro cadauere debedo cui nec velle est, nec intelligere; pro crucifixi breui simulachro, quod sinit quaqua versum pro libito se agi; pro senis baculo, quem vbicumque commodum adhibet & reponit; ita me opus est religioni ad nutum seruire, vbicumque sibi commodare me posse censuerit.

9. Nec loca debedo, nec munera occupationes, meo delectu ab superioribus petere. Possum quidem mentem, ac desiderium iis exponere, dumtaxat omnia velut eorum pedibus aduoluens, consultissimum habiturus, factuque optimum, quicquid à me præstandum iudicarint.

10. Leuiora tamen petere nihil vetet, quale sit, obire sacras stationes; aliquid à Deo peculiaris gratiæ flagitare; aut quidpiam simile, sed parata semper ad impetrationem aut repulsam, eadem animi æquitate.

11. Ad paupertatem quod attinet, non minus debedo ex natu regentium pendere, hoc est re omni carendo propria, & concessis vt statura quæ spoliandi se, qualibet ex causa, nihil obstat, aut queritur.

XXV.

*Epistola S.
Ignatij de
Obedientia
ab uno de So-
cietate im-
pugnatur.*

Etsi vero hæc vndeclim de Obedientia effata sub vitæ fine dictarit Ignatius, haud tamen suos eo vñque sensus distulerat, fusiore scripto explicare, sed hoc ad communem tunc egit Societatis vniuersæ, quod ad Collegiorum quotundam eruditionem, ante annos aliquot egerat. Exarserat enim præter modum non paucorum ex nostris in Hispania, & Lusitania pietas, licere sibi crediderant in rebus animi suo ductu regi; hinc eorum nonnulli voluntariis pœnis, animosi magis quam prudentes, valitudinem perdere; alij contemplationis illeci dulcedine, solitudines adamarce, vtrique quo tenderent, quo vocati essent obliuisci. Vtrisque vt metas Ignatius figeret, paræneticas ad illos dedit, quibus manifestum iis fecit, quo se rectâ ire certius crederent, hoc ab ea errare longius, quamdiu omisſa obedientia pergebant iure suo singi, & singulari suo arbitratu regi: repetita enim (quod Deo præcipuum, & optimum vouerant) libertate, præ illa nihili apud eum fore, quicquid postea obtulissent. Verum iis de hoc arguento, quæcumque aut sanctus Ignatius, aut quiuis forsitan alij scripsere, prolixa eminet, mirabilisque Epistola, quam ad nostros in Lusitania anno 1553. datam, Societas, & legit semper, & suspicit.

Hæc